INDEX LECTIONUM

IN

ACADEMIA ALBERTINA

FRIDERICO GUILIELMO

HEREDE MONARCHIAE

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

PER HIEMEN

ANNI MDCCCLXII. A. D. XV. OCTOBRIS

P. P. O.

INSTITUENDARUM.





Praefatur est L. Friedlaender de certaminibus in agine Capitolino institutis.

Regimonti Pr.

Typis Academicis Dalkowskianis.

MDCCCLXII.

ACADEMIAE ALBERTINAE PRORECTOR

D[R.] CAR. FR. ROSENKRANZ

PROF. P. O.

Prolegomena.

Sueton. Domitian. c. 4 certamen Capitolinum sub Domitiano aliquanto plurium quam *nunc* sit, coronarum fuisse tradit. Quum enim Suetonius scribebat (cujus vitae in lucem prodierunt a. 120 v. ed. Roth. praef. p. IX) certamina oratorum Graecorum Latinorumque (quibus laudes Jovis Capitolini perpetuam materiam fuisse dicit Quintil. J. O. III 7,4) institui desita erant (Palfurium Suram de oratoribus Latinis coronatum memorat Sueton. ib. c. 13); nec minus chorocitharistarum psilocitharistarumque et cursus virginum. Inter *poetas* Latinos in primo agone (86) coronatus esse videtur Collinus ille, ad quem scripsit Martialis epigr. IV 54 (qua de re dixi in progr. hujus acad. 1862 I p. 8):

O cui Tarpeias licuit contingere quercus
Et meritas *prima* cingere fronde comas,

quamquam *prima* aliter intellegi posse non nego. In agone a. 90 Statium victum esse verisimile est (l. l. p. 16); ad agonem a. 94 poeta Graecus Diodorus proficisci voluerat ib. p. 12 Martial. IX 40). In uno horum trium agonum poeta P. Annius Florus Africa oriundus corona privatus est. Ipse narrat, auditores coronam sibi summo consensu poposcisse, *invito quidem Caesare et resistente, non quod sibi puero invideret, sed ne Africa coronam magni Jovis attingeret.* (P. Anni Flori fragm. in Jahnii ed. Juli Flori p. XLI). Ac fortasse ipso *illo de Dacia triumpho* certaverat (v. ibid.); etenim Domitianum quoque de Dacia triumphasse constat (Sueton. c. 6), nec necesse est hoc carmen ad triumphum a Trajano a. 101 actum referre, quod fecit Jahnius (p. XLV). Quodsi carmen illud de triumpho Dacico a Floro in certamine recitatum esse statuimus, id aut a. 90 factum esse potest, paulo ante triumphum qui eo anno exeunte actus est, aut a. 94. Lustro sexto (a. 110) inter poetas Latinos coronatus est L. Valerius Pudens Histoniensis annorum XIII omnibus sententiis judicum. J. R. N. 5252.

A poetis ad *musicos* transeo. Cantus certamina instituta esse docemur titulo Aurelii Charmi, Philadelphia oriundi (C. J. G. 3425: *ᾠδὸν παράδοξον, περιοδονείκην στεφανωθέντα ἱεροὺς ἀγῶνας τοὺς ἀπὸ τῆς οἰκουμένης πάντας ἀπὸ Καπετωλείων*

ἕως Ἀντιοχείας τῆς Συρίας). Citharoedos certasse et Suetonius indicat l. l. et Iuvenalis VI 387, e quo loco recte colligemus, Pollionem citharoedum jam sub Domitiano celeberrimum (Mart. IV 61, 9) in hoc certamen descendisse. Accedunt pythaulae propter titulum artificis Nicomedensis coronati ἐν Ῥώμῃ Καπετώλεια πυθαύλας C. J. G. 1720. Etiam imago tibicinis quam edidit Garrucci vetri ornati etc. Tab. XXXIV, 1, ad victoriam in hoc agone reportatam spectat. Eos titulos, ubi nude Romae victoriam reportatam esse scriptum est, certamine non indicato, certe non omnes huc pertinere, apparet ex titulo in via Appia reperto C. J. G. 5919. Ibi enim verba Ῥώμην τραγῳδούς corona laurea inclusa sunt;, at coronam Capitolinam querneam fuisse notum est.

Certamina gymnica eadem instituta esse consentaneum est, quae in Graecia instituebantur, non modo virorum sed etiam puerorum. Nam si cursus, luctationis, pugilatus, pancratii certamina instituta esse testimoniis titulorum et Cassii Dionis constat, reliqua non defuisse jure colligere videbimur. C. J. G. 2682 titulus T. Flavii Metrobii Jasensis, qui vicit τὴν περίοδον ἀνδρῶν δόλιχον Ἰασέων πρῶτος καὶ τὰ ἐν Ῥώμῃ Καπετώλεια πρῶτος ἀνθρώπων i. e. a. 86. Ib. 237 tit. pugilis Apamensis quum in multis aliis tum in hoc agone coronati. Pancratiastarum tituli complures exstant. Primus est C. J. G. 5806 (Neapoli repertus) T. Flavi Artemidori Adana oriundi, qui vicit τὸν ἀγῶνα τῶν μεγάλων Καπετωλείων τὸν πρώτως ἀχθέντα (a. 86) ἀνδρῶν παγκράτιον. Ib. 5804 tit. T. Flavii Archibii Alexandrini (Neapoli repertus) quem Romae discimus τὰ μεγάλα Καπετώλεια τὴν τρίτη[ν Ὀλυμπιάδα] ἀγενείων παγκράτιον στεφανωθέντα (a. 94) κα[ὶ την τετάρτην] ἀνδρῶν παγκράτιον νικήσαντα (a. 98) καὶ τὴν πέμπ]την ἀνδρῶν παγκράτιον στεφανωθέντα (a. 102) καὶ τὴν ἕκτην ὁ[μοίως ἀνδρῶν] παγκράτιον στεφανωθέντα (a. 106) πρῶτον ἀνθρώπων. Ib. 3674 tit. Cyzicenus M. Aurelii Cori, qui Ῥώμην Καπετώλεια ἀγενείων παγκράτιον vicit, fortasse a. 165. Ib. 5913 tit. M. Aureli Asclepiadis Hermopoli in Aegypto ut videtur nato (Romae positus) pancratiastae celeberrimi, qui vicit (l. 21) Καπετώλεια ἐν Ῥώμῃ δίς (178 et 182) τὸ δεύτερον μετὰ πρῶτον κλῆρον στήσας τοὺς ἀνταγωνιστάς, quod non intellego. Ib. 2180 b. tit. Aelii Aurelii cujusdam, cujus cognomen periit, Aphrodisiade oriundi, qui vicit Ῥώμην Καπετώλεια Ὀλύμπια ἀνδρῶν παγκράτιν πρῶτος Ἀφροδεισιέων. Dio LXXIX 10: Αὐρήλιος Ἄλιξ ὁ ἀθλητής (sub Elagabalo) — τοσοῦτον τοὺς ἀνταγωνιστὰς ὑπερῆρεν ὥστε πάλην τε ἅμα καὶ παγκράτιον ἐν τῇ Ὀλυμπίᾳ ἀγωνίσασθαι ἐθελῆσαι, κἂν τοῖς Καπιτωλίνοις (218) καὶ ἄμφω νικῆσαι — ὃ μηδεὶς ἄλλος ἐπεποιήκει. In titulo victoris Capitolini Megarico C. J. 1068 (qui ter vicit), genus certaminis non indicatum est.

Certamen equestre hujus agonis significatum esse puto in tit. aurigae P. Aelii Guttae Calpurniani Or. 2593, qui vicit in f. veneta — sacro quinquennalis certaminis primo.

I. SCHOLAE THEOLOGORUM.

---

1. *Professorum ordinariorum.*

CHRIST. FRID. DAVID ERDMANN, phil. et theol. Dr. P. P. O. quartus, Decanus.

I. Publ. 1) Seminarii theologici sectionem exegetico - criticam Nov. Test. diriget die Lun. h. VI—VIII.

2) Historiam ecclesiae Prussicae enarrabit bis p. h. d. Martis et Veneris h. V.

3) Epistolam Pauli ad Colossenses semel p. h. die Jovis hora V interpretabitur.

II. Privat. 1) Historiae ecclesiasticae partem secundam quinquies p. h. h. XI—XII enarrabit.

2) Evangelium Joannis quinquies p. h. h. X—XI interpretabitur.

FRIDER. LUDOV. SIEFFERT, phil. et theol. Dr., P. P. O. primarius, Facult. Theol. Senior.

I. Publ. Theologiae moralis selecta capita cum commilitonibus disserendo pertractabit binis horis die Mercurii IX et X.

II. Privat. Theologiam symbolicam tradet quaternis diebus h. IX—X.

JO. GEORGIUS SOMMER, theol. Dr. P. P. O. secundus.

I. Publ. 1. Seminarii theologici sectionem exegetico-criticam Vet. Test. die Saturni h. XI et XII diriget.

2) De lingua et litteris Hebraeorum disseret d. Lun. et Jov. h. VIII. binis lectionibus cl.

II. Privat. 1) Psalmos interpretabitur quinquies p. h. h. XII.

2) Introductionem in libros V. T. historico-criticam quinquies p. h. IX tradet.

HENR. GUIL. ERBKAM, theol. Dr. P. P. O. tertius.

I. Publ. 1) Seminarii theologici sectionem historicam diriget d. Lun. hor. VI et VII.

2) Historiam ecclesiasticam recentiorem bis p. h. h. IV enarrabit.

II. Privat. 1) Historiam dogmatum sexies p. h. h. XI docebit.

2) Theologiae dogmaticae partem secundam quinquies p. h. h. XII docebit.

CAROL. JOANN. COSACK, Theol. Dr., P. P. O. quintus design.

I. Publ. 1) Seminarium catechetico-homileticum diriget h. VI. d. Mercurii.

2) Historiam sacrae eloquentiae bis p. h. d. Martis et Veneris h. III enarrabit.

II. Privat. Homileticen et catecheticen quinquies p. h. docebit h. VIII.

2. *Professorum extraordinariorum.*

C. AUG. SIMSON, phil. et theol. Dr. P. P. E. design.

I. Publ. Selecta capita theologiae biblicae V. T. pertractare perget semel p. h. h. def.

II. Privat. 1) Librum Jobi quinquies p. h. h. XII interpretabitur.

2) Grammaticam hebraicam bis p. h. d. Mercurii et Saturnii h. IV docebit.